3

ORATIO
IN FUNERE
CLEMENTIS XIII.
PONTIFICIS MAXIMI

HABITA IN BASILICA VATICANA


XVI. CAL. MART. MDCCLXIX.

AD SACRUM

EMINENTISSIMORUM CARDINALIUM

COLLEGIUM

A BENEDICTO STAY



ROMÆ MDCCLXIX.

TYPIS GENEROSI SALOMONI

SUPERIORUM PERMISSU.

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO

PRINCIPI
CAROLO
CARDINALI REZZONICO
S. R. E. CAMERARIO

BENEDICTUS STAY

FELICITATEM.

CUM ſeptem prope abhinc annos in conſcribendis latinis epiſtolis immortalis Patrui tui CLEMENTIS XIII. eſſem verſatus, atque in eo perhonorifico fungendo munere frequentiſſimus mihi fuiſſet illum conveniendi & cum illo agendi uſus; duos eximios inde fru-

fructus eram conſecutus, alterum excellentis illius propius contemplandæ ac quotidie fere admirandæ virtutis, alterum ſingularis humanitatis, ac beneficentiſſimæ in me voluntatis experiendæ. Nunc ſanctiſſimi, ac mirifice de me meriti Principis conſuetudine ac præſidio privatus in TE potiſſimum, Cardinalis ampliſſime, poſitas eſſe video ſummi hujus & doloris & deſiderii mei mitigandi cauſas. Te enim intuens veram illius virtutum imaginem intueri videor, & renovatam ac reſtitutam illam pietatem, moderationem, integritatem, quibus tanquam domeſticis laudibus diuturna illius imitatione confirmatis eidem es non minus ac generis cognatione ſimillimus. Quidnì vero etiam illius erga me benevolentiam & TE & præſtantiſſimos Fratres tuos veſtro patrocinio conſervare ac tueri velle confidam? Nihil quidem optabilius mihi poterit contingere, quam ſi in VOS tranſmiſſam ac derivatam illius erga me benignitatem videam, in quos ego colendos atque

que

que obſervandos maximam meæ, nunquam illi referendæ, ſemper habendæ ac prædicandæ gratiæ partem traductam eſſe profiteor. Hujus veſtri in me animi egregiam mihi ſignificationem dederis, ſi hanc Orationem meam, in qua illius laudes non tam expreſſas, quam adumbratas eſſe intelliges, humaniter exceperis. Quod tum præſertim ſpero TE eſſe facturum, cum ſi minus ingenium ac eloquentiam in illa perficienda, at ſtudium ac voluntatem meam, quæ in perſolvendo officio maxime cernitur, probaveris.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

D. J. Archiep. Nicomed. Vicesg.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Augustinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apostolici Magister.

ORA-



ORATIO.

SI præclare geſtas eſſe reſpublicas arbitramur EE. PP. cum iiſdem, quibus inſtitutæ ſunt, reguntur artibus; nulla profecto in maximo hoc religionis moderando imperio illuſtrior laus eſſe debet, quam ſi omnis illius adminiſtrandi ratio ad eam normam dirigatur, qua ab ipſo Auctore ac Conditore Deo idem conſtitutum ac ſtabilitum fuiſſe ſcimus. Qui cum omnem illius vim ac univerſam legum comprehenſionem vitæ ſanctitate innocentia ac integritate morum contineri voluerit, quid præſtabilius, quid laude atque admiratione noſtra dignius in iis eſſe poteſt, qui Sacrorum Duces ac Principes huic rerum ſummæ atque æterno Sacerdotio regendo præſunt, quam ſi cujus nobis dignitatem poteſtatemque referunt, ejuſdem ſanctitatem etiam exprimant, atque his ab illo divinitatis tanquam impreſſis veſtigiis inſiſtant? Quare merito florentiſſima ea religionis tempora fuiſſe memorantur, quæ hujuſmodi Ponti-

tificum ſanctitate maxime illuſtria extiterunt. Nos ipſi huic noſtræ ætati gratulari, noſque divino præſertim beneficio obſtrictos fateri debemus, qui hujus excellentis virtutis exemplar in CLEMENTE XIII. renovatum nobiſque propoſitum vidimus. Nam ſi ex cujuſque inſtitutis atque actæ vitæ genere tanquam ex oris lineamentis forma quædam exoriri ſolet, quæ nobis ut alieni vultus ſimilitudinem, ſic imaginem animorum referat, CLEMENTIS vitam omnem memoria repetenti, quid aliud occurrit atque objicitur animo, quam quædam morum atque actionum ratio ad veræ abſolutæque virtutis pulchritudinem conformata? Sed extinctum jam ſingulare hoc ſanctitatis lumen, nobiſque repente ſublatum atque ereptum intuemur. Quod mœrentibus atque afflictis in luctu ac dolore jucundiſſimum eſſe ſolet, illud nobis tantummodo eſt reliquum, ut ſancte ab illo actæ vitæ memoria luctum ac mœrorem noſtrum leniamus. Atque hoc de illius laudibus dicendi impoſitum mihi munus facile quidem ſuſtinerem, neque ipſa me rerum dignitas ac copia deterreret, ſi optimi Principis in me meritorum magnitudini parem orationem invenire poſſem. Nunc ea ipſa, quæ ad dicendum ampliſſima eſſent, me magis impediunt ac perturbant, & neſcio quomodo ingenii mei tenuitatem non tam excitari ſentio officii recordatione, quam vi doloris opprimi atque extingui. Sed veſtræ benignitatis ſpe recreor ac reficior EE. PP. Voſque obſecro, ut me in ſuſtinendo graviſſimo munere auctoritate veſtra ſuſcepto, humanitate item veſtra ſublevetis, atque eximias illius laudes vobis optime cognitas ac perſpectas, quæ neque ſatis ornate neque magnifice pro earumdem præſtantia referri a me poſſunt, vos ipſi vobis animo & cogitatione veſtra ſubjiciatis.

Atque utinam ab omni rerum ſerie atque ordine percenſendo anguſtiis temporis minime excluderetur oratio, ipſa illa certe ingenii ac naturæ initia ad excellentem quandam ſanctitatem

tem

tem inchoata, ac primi CLEMENTIS ad rempublicam aditus, atque alii deinde in amplissimorum munerum perfunctione suscepti cursus satis indicarent jam tum informari atque instrui cœptam esse illam innocentiæ integritatis ac virtutis speciem, quæ deinde esset omnium oculos ad sui admirationem conversura. Verum cum pro incredibili rerum copia nequaquam possim omnia dicendo persequi, ad illa continuo me conferam, quæ reip ublicæ utilitate clarissima sunt, & ipsa imperii magnitudine ac dignitate omnem humanarum rerum conditionem prætergressa esse videri possint. Quid enim aliud quæso summi in Christiana republica Principatus nomine, quid maximi Sacrorum Antistitis munere continetur, quam divinum ac immensum quiddam? illum nimirum, qui eo loco sit positus, Deum inter atque homines sequestrum esse, divinis humana conjungere, sui regni fines iisdem esse cæli ac inferorum terminis descriptos, legum ac sanctionum eam vim esse, quæ non solum ad civium actiones dirigendas, sed ad mentes etiam inflectendas, atque ad pertractandos intimos animorum recessus permanet, ac morum sanctitate atque exemplis omnium animos ad virtutem ac Dei ipsius similitudinem traducat. Ad hanc tantam rerum amplitudinem cum se divinitus evocari CLEMENS agnosceret, quanquam vehementissime commotus ac perturbatus, tamen magno se atque erecto oportere esse animo judicavit, cum a quo sibi tanti imperii procurationem esse traditam videret, eundem se adjutorem, comitem, ac ducem habiturum confideret. Verum non aliam certiorem comparandi sibi illius præsidii rationem esse vidit, quam si religionis, cujus facem præferret, vim etiam, quæ in Deo colendo diligendoque omnis est posita, in se ipse potissimum exprimeret, facta & consilia omnia ad illius voluntatem aggregaret, illius auctoritate niteretur, dictis fidem adjungeret, illi uni tota mentis consen-

ſione, atque amore adhæreſceret. Itaque novo quodam atque inuſitato ardore, ac ejus conſectandi propoſiti, quod illius animo jampridem inſederat, incredibili cupiditate incenſus continuo ad hunc bonorum ac virtutum omnium fontem cogitationem, ſpem, ſtudium, ac deſiderium omne convertit: ab hoc omni cultu, obſequiis omnibus demerendo nunquam divelli, ad hunc unum laboribus defatigatus confugere, in eoque pietatis uſu libentiſſime conquieſcere, in rebus agendis ejus conſilia exquirere, una illius fiducia recreari, ejus præſidio ac tutelæ ſe ſuaque omnia permittere. Neque vero hic tantus pietatis ardor latebris animi deliteſcere ac contineri poterat, quin ad omnium etiam ſenſus emanaret, quin ore vultu oculis emicaret, ac erumperet. Recordamini quæſo illos animi motus, quibus ipſum excitari in templis adeundis, illas oris inflammationes, quibus in ſacris faciendis incendi videbamus, cum illum & loci majeſtas & populi frequentia & noſtræ utilitatis opportunitas vehementiſſime commoveret. Ac ſane quid ad religionis ſpeciem auguſtius eſſe poteſt, quid in humanis rebus magnificentius, quam hos publicos pietatis conventus agi coram ipſo omnis ſanctitatis Auctore Deo? qua in re magis quam in hujuſmodi celebritate elucere & tanquam in theatro ſpectari maximi Sacrorum Præſidis virtus? Facile quidem omnes tantæ rei magnitudinem atque utilitatem perſpicerent, ſi tum Deum ipſum ab illo evocatum atque immenſa ac immortali luce circumfuſum in aris tanquam in ſolio palam conſidentem viderent, ſi illius vota atque obſecrationes libentiſſime excipientem, atque ejus pro populi incolumitate advocationem acceptiſſimam ipſi eſſe conſpicerent; quis non ſuam, non omnium rem tum agi maxime crederet, atque in hoc pietatis munere non aſſidue illum verſari, non præcipuas illius partes ſitas eſſe vellet? Sed num oculorum præſidiis indigemus, ut certiora nobis eſſe poſſint, quæ divinæ auctoritatis robore ſunt firmiſſima? Num ul-

læ ſunt rerum imagines tam acres tam validæ ad quempiam commovendum , quam intimos Optimi Principis ſenſus divini teſtimonii gravitate ſubnixos præſentis Dei vis ac majeſtas occupabat ? Quare quid mirum , ſi hoc religionis ſtudio tantopere exardeſceret , & divinæ conſuetudinis ac familiaritatis cupiditate maxime traheretur , ſi , quem curandis Eccleſiæ commodis utiliſſimum videret , idem pietatis uſus eſſet illi jucundiſſimus ? Itaque hoc unum illi curarum erat perfugium , hoc ægritudinum ſuaviſſimum ſolatium . Hinc nullis rerum impedimentis ab hac divinæ conſuetudinis conſtantia disjungi unquam eſt paſſus . Hinc in illius contemplatione diutiſſime inhærentem , in illo defixum , cum illo colloquentem quotidie vidimus . Atque ab hujuſmodi quidem cum Deo tanquam colloquiis ac congreſſionibus incredibile illud divini cultus promovendi ſtudium afferebat , inde ille ardor religionis caſte pieque tuendæ , & ſanctiſſimis exemplis ac præceptis muniendæ , inde illa mirifica populi doctrinæ ac morum inſtitutione imbuendi cura , inde illi optatiſſimi tanquam triumphi fuerunt , cum excellentium ſanctitate virorum & memoriam ſolemnibus cæremoniis conſecraret , & vitam ad imitandum proponeret . In cæteris etiam adminiſtrandæ reipublicæ partibus eodem ſe præſidio erigebat . Sed quo firmiore adjumento fideret , eo ſe alacriorem in rebus gerendis oportere eſſe arbitrabatur . Neque enim in inerti ſpe conquieſcendum , neque ad otium ſe vocatum , ſed ad laborem eſſe noverat ; proinde neque ætatis neque valetudinis incommodis ab agendo eſt unquam revocatus ; nullam diligentiam nimiam eſse duxit pro religionis ac reipublicæ commodis ſuſceptam . Verum poſtquam omnem induſtriam,omnem curam in tanto perſequendo munere contuliſset , vanam atque inanem operam ac ſolertiam eſse duxit , quæ non eſset cum divini præſidii fiducia conjuncta,atque ad illius conſilii rationes accommodata . Non expediendi negotii difficultas ,

non

non prosperi aut adversi rerum casus ab hac divinæ voluntatis ac gloriæ consectandæ constantia divellere illum unquam potuerunt. Hoc religioni, hoc reipublicæ, hoc sibi, hoc omnibus utile esse ajebat, quod divino nutu ac numine fieret, hos esse præclaros, hos expetendos rerum successus; neque desiderio atque opinione nostra, sed illius tantummodo voluntate, illius gloria veras ac solidas utilitates esse metiendas. Difficile profecto est in ipso negotiorum æstu, cum omnem operam omnem animi contentionem ad optatissimos rerum consequendos exitus converteris, deinde neque ullo studio neque ipsius publicæ utilitatis curandæ cupiditate auferri atque abripi, ad omnes rerum eventus æque paratum esse, neque si ex animo processerint, efferri, sibique arrogare ac tribuere quidpiam, neque, si minus ex sententia acciderint, vehementius perturbari ac deijci. Sed cujus animum altissime pervaserit illa infinitæ sapientissimæque Mentis magnitudo, quique una humani consilii imbecillitatem perspexerit, idem facile omnem judicandi temeritatem abijciet, ac illius plane voluntati congruet ac consentiet. Cum illa enim summa atque excellente natura se ac reliqua omnia comparans, quam continuo deprimi cuncta, & quæ reputantur maxima, evanescere ac dilabi animadvertet, quam se ipse contemnet, quam omnem de se gloriandi suique diligendi sensum deseret! His initiis orta atque educta illa veræ laudis ac virtutum omnium altrix & magistra, his, inquam, initiis præclara illa Christianæ Humilitatis forma ac species effloruit. Major illa quidem est atque altior, quam ut illuc ulla possit humanæ solertiæ doctrinæque ratio pertingere. Proinde divinis Christi institutis atque exemplis fuit primum illius patefacta vis omnis nomenque perceptum. Quam ex hac disciplina semel haustam cum penitus imbibisset, qua cura CLEMENS in ejusdem est artibus assidue versatus, quam amplis fuit illius doctrinæ incrementis in dies auctior? Ex ipsis honorum accessionibus

hæc

hæc demiſſioris animi in eo ſtudia mire creverant. In ſummo dominationis gradu, in quo ipſe dignitatis ſplendor facile perſtringit oculos, & quiſque ad caſum ac prolapſionem eo eſt proclivior, quo magis ad illam de ſe plus æquo ſentiendi inclinationem aliorum etiam aſſentationes incumbunt, quam longe ab hujuſmodi blandis vocibus abhorrentem atque eximiæ virtutis cupiditate vehementius conflagrantem admirati ſumus? Quanquam in rebus perſequendis & in ingeniis hominum cognoſcendis animi ſagacitatem, rectique ac veri ſingularem intelligentiam in illo omnes agnoſcerent, tamen ſibi uni nunquam ſatisfacere poterat; tum ſuæ tantum induſtriæ minus illum pœnitebat, cum nihil ſibi aſſumeret, cum omnes operæ ac ſolertiæ ſuæ partes ad Deum cuncta referendi ſtudio cumularet. Verum illud præclare uſuvenire vidimus, ut ex hac ipſa demiſſioris animi alacritate, tanquam ex altiſſimis radicibus, uberior in ipſo cæterarum virtutum ſplendor eniteret, atque illa omnis honeſtatis cognatio, ille pulcherrimus omnis laudis conſenſus ac concentus oriretur. Qui enim alii præſtantiores veræ ſapientiæ, ac juſtitiæ ortus ac progreſſiones eſſe poſſunt? Quis melius earum vim unquam aſſequetur, quam qui Deum unum Optimum Maximum eſſe, cætera omnia anguſta atque imbecilla perviderit? Ubi magis adoleſcere ac perfici illa vitæ moderatrix, illa victrix cupiditatum ac perturbationum virtus poterit, quam illius animo, quem nullus a Dei conjunctione neque lætitiæ neque ægritudinis motus divellat? Hoc ipſe virtutum ornatu inſtructus egregium illum, & quo nihil homini in vita eſt jucundius, pacis ac tranquillitatis fructum eſt conſecutus. Nam quemadmodum angores ac ægritudines aſſidui ſunt ſceleris ac turpitudinis comites, ita quietis & ſecuritatis jucunditas virtutem ac ſanctitatem conſtantiſſime conſectantur. Hinc ejus animus minime corporis anguſtiis impeditus ad præcipiendam beatæ illius ac cæleſtis vitæ ſuavitatem rapi atque avocari videbatur. In di-

divina pulchritudine contemplanda assidue defixum, in illam intentum, ad illius speciem sese effingentem, illius in se similitudinem exprimentem, fieri non poterat, quin rivus aliquis infinitæ voluptatis, cujus plenissimus haustus cælestis illius patriæ cives beatissimos efficit, ipsum etiam circumflueret ac perfunderet. O præclaram virtutis ac sanctitatis conditionem, quæ hujus etiam vitæ tenebras aliquo inextinctæ illius lucis radio collustrat, quæ ab hac rerum contagione sejungit animum, atque ad divinæ quodammodo naturæ societatem traducit. Sed quo me tantarum ac tam sublimium virtutum admiratione abreptum esse video, quarum neque animo sustinere magnitudinem possum, neque oratione persequi? Itaque ad alias potius me convertam ab iisdem certe initiis deductas, sed faciliores, nobisque quodammodo chariores laudes æquitatis, clementiæ, liberalitatis. Illas quidem magnopere suspicimus ac admiramur, has amamus, in hisque libentius conquiescimus. Suavioribus hisce virtutibus ornatum nobiscum versari, & qui dignitate longissime a nobis recederet, humanitate ad nos accedere, nobisque conjungi lætabamur. Nihil in eo arrogans, nihil elatum; nunquam majestas imperii naturæ morumque lenitati adversata est; non auctoritas, non dignitas a suavitate ingenii revocavit. Magna quidem naturæ vis ad facilitatem ac mansuetudinem esse potest; sed quæ tanta ingenii lenitas est, quæ nulla unquam aut importunitate, aut offensione vincatur? Hanc CLEMENS optimam naturæ informationem uno Christi exemplo ac divinæ illius imitandæ mansuetudinis studio confirmavit. In illum intuens nulla potuit animi acerbitate incitari, nullo iracundiæ motu concuti. Faciles ad illum omnibus erant aditus; ea sermonis comitas ac benignitas, ut quisque aperte intelligeret non mediocrem in illum & ex alienis malis molestiæ partem, & ex bonis redundare voluptatis. In ipsa regnandi conditione illud erat jucundissimum, quod inde cæteros juvandi ac beneficiis

ficiis complectendi maxima esset opportunitas. Hoc omnes imperii labores & curas satis mitigabat, hoc maximam illi solicitudinum partem adimebat. Permultum quidem interest, quomodo quisque affectus in his etiam officiis versetur, unde uberrimæ liberalitatis laudes consequuntur. Quam multa enim, quæ & liberaliter & magnifice gesta esse prædicantur, quæ populorum commodo & civitatum ornamento sint, quorum firmissimis monumentis consignata nominis immortalitas videri possit, tamen ipsa ambitione ac famæ cupiditate misere corrumpuntur. Siquidem neque ab hominum commendatione, neque ab ullis rebus extra nos positis, sed a bene constituto animo, & ab eo, quem in agendo spectamus, bonorum fine, omnis certe factorum consiliorumque præstantia proficiscitur. Qui cæterarum virtutum, idem liberalitatis est ortus, & quod a divinæ gloriæ fontibus ad civitatum etiam decora & commoda derivatur, id revera magnificum est, id liberale, id gloriosum. Multa profecto in hoc genere egregie ac splendide a CLEMENTE gesta commemorari a me possunt. Amplissima ad dicendum essent tot publica Urbis ædificia restituta atque ornata, portuum constructiones, derivationes fluminum, exquisitissima vetustatis monumenta comparata. Sed finite, ut ad eas liberalitatis partes potissimum me conferam, in quibus nihil caducum, nihil fluxum, nihil fragile inesse potest, quæ nulla animi levitate, nulla famæ suspicione depravantur. Harum ratio a christianæ charitatis tracta legibus in indigentium sublevandis calamitatibus tota versatur. Hujus ille virtutis splendore mature delectatus abuti divino beneficio sibi videbatur, nisi peramplí patrimonii copias, quibus in opulentissima ac nobilissima domo erat instructus, ad egentium usus traduceret. Quanta aliorum studia in comparandis colligendisque divitiis esse solent, tanta illius erat alacritas in largiendis. Divini consilii rationes, quibus pauperum calamitatibus esset

cau-

cautum ac provisum, interverti censebat atque intercipi, si aut avaritia obstruerentur, aut ad fastum atque illecebras derivarentur, quæ ad aliorum levandam inopiam redundare oporteret. Proinde cum dignitatum accessionibus census æque auctiores esse intelligeret, mirifice gestiebat liberalitatis exercendæ sibi esse fines prorogatos. Quantus vero fuit in illo ardor, cum ad Patavinum Sacerdotium evectus novos sibi patefactos esse cursus, atque ampliora ad præclare de aliis merendum se nactum esse spatia agnosceret? Jam ipsa liberalitatis consuetudine ad agendum paratior, atque inflammatior hunc præstantissimum esse honoris sui fructum reputabat, quod illam etiam facultatem afferret, ut opera ipse sua ac industria præstantiores liberalitatis partes cumulare, & ad inopiæ adjumenta religionis etiam ac pietatis subsidia, quæ prima juvandi esset ratio, posset conjungere. Sed quonam alio in loco præclarius hoc charitatis specimen atque exemplar spectari potuit, quam in hoc summo religionis gradu? Quæ enim est ulla civitas tam certis ac tam propriis fixa & fundata legibus, quam est charitatis institutis hoc religionis stabilitum imperium, cujus omnis disciplina, omnis juris descriptio una charitatis sanctione comprehenditur? Atque hujus quidem legis vis ab ipso religionis Conditore profecta ad omnium societatem arctissimis benevolentiæ vinculis colligandam late delabitur; tamen in pauperum atque egentium sublevandis miseriis potissimum cernitur, quippe quæ nostræ ipsius in Deum pietatis atque amoris modum una eademque definiat. Hujusmodi legis institutis cum cæteros omnes constrictos intelligeret, tum se potissimum teneri, ac tanquam acerrimis stimulis excitari sentiebat, ut imperii, cui præsideret, principem legem sua ipse opera, suo exemplo roboraret. Tunc a se præclare gestum imperium existimabat, cum miserorum vindicis ac pauperum parentis esset officio perfunctus; humanis quidem civita-

vitatum legibus incolumitati ac commodis civium æqua juris descriptione satis esse consultum; solos eos deseri, eorum miseriis minime caveri; proinde charitatis id esse legibus sarciendum, ultro eorum malis occurrendum, ultro fortunæ iniquitatem, quibus fieri possit præsidiis, amovendam. Quamobrem omnem in eo industriam posuit, ut qui maxime opis indigerent, sedulo conquireret, ac eorum malis mederetur. Jucundissimum sedulitatis præmium percipiebat, cum orbitati solatium, pudicitiæ tutelam, perfugium miseris, egestati præsidium comparatum a se esse intelligeret. Si aliquando vero temporum asperitate fieret, ut pauperum calamitates exagerari animadverteret, tum vero (quæ charitatis est indoles, ut pro calamitatum magnitudine magis se ipsa acuat atque incitet) ille acerrimis pietatis ac misericordiæ studiis inflammari. Atque hic mihi sese objicit luctuosissimum illud tempus, cum ingravescente per universam pene Italiam annonæ difficultate, atque ex agris sterilitate desertis ac vastatis innumerabili undique confluente multitudine fame fere enecta, viisque omnibus abjecta ac prostrata, de nostra ac totius Urbis incolumitate magnopere timeremus. In hoc misero rerum statu recordamini, qua cura, qua solicitudine optimi Principis animus premeretur, quam omnium luctus ac calamitates in illum unum maxime concurrerent ac incumberent. Quam effusi tum illius gemitus fuerunt, quo ardore, qua fiducia ad Deum confugere, ab eo subsidia expetere ac expectare videbamus! In hoc tam gravi rerum discrimine tantæ liberalitatis, & charitatis species non mediocrem & malis allevationem attulit, & ad virtutem imitandam mirifica in omnibus studia excitavit. Ac Vos potissimum incredibile illud charitatis exemplar æmulati singulari alacritate in sublevandis miserorum ærumnis adfuistis; cumque idem ardor ad reliquorum civium imitatio-

nem

nem emanasset, Deum ipsum hoc eximio christianæ charitatis spectaculo delectatum, & illius obsecrationibus permotum, periculo tandem ac malis finem attulisse lætati sumus.

Sed quid ea diutius commemorem, quæ vos ipsi, qui illius actionum testes atque adiutores fuistis, melius animo recognoscere ac recensere potestis, quam ego dicendo consequi? Aut quid ea verbis elevem atque imminuam, quorum meliorem ego quidem commendationem hoc ipso populi luctu nullam esse existimo? Quid enim omnium bonorum desiderium, quid pauperum gemitus, quid universæ civitatis mœror, quid hic quotidianus infinitæ multitudinis concursus aliud præsefert, quam clarissimum illius excellentis virtutis testimonium? Dum memoria repetunt illam pietatem, moderationem, æquitatem, commovetur ac excitatur in omnium animis species ac similitudo quædam antiquæ illius innocentiæ ac integritatis, quando istæ præclaræ virtutes non solum hominum, sed & temporum propriæ esse videbantur. Atque hæ quidem pietatis ac sanctitatis laudes fortasse minus amplæ atque illustres iis videri possunt, siqui virtutem ostentatione gloriæ, rerum fastu, ac pompæ magnificentia metiantur. Nulla hic hujusmodi cupiditatis vestigia, nulla victoriæ monumenta, nullus trophæis ac triumphis locus, nihil opibus, nihil copiis, nihil equitatus robore peractum. Sed immensum quiddam infinitumque interest, inter illam judiciorum pravitatem, ac sinceram atque incorruptam christianæ virtutis æstimandæ rationem; illa sensuum consuetudine ac opinionum inconstantia movetur, hæc veritatis vi & gravitate nititur; brevibus illa vitæ spatiis ac interituri nominis gloria præclare factorum præmia concludit, hæc æternitatis diuturnitate spes suas terminat, & sola summi boni mercede infinitam animorum cupiditatem explendam statuit. Ad hanc

veri